



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

De Theologicis Disciplinis Liber Nonus, Qui resolvit quædam dubia
Sholastica, & modum tradit loquendi de Trinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER NONUS,

*Qui resolvit quædam dubia Scholastica, & modum tradit lo-
quendi de Trinitate.*

Dubia &
modus lo-
quendi de
Trinitate.



ciles veterum Scholasticorum Disputa-
tiones; in quibus ne diu versemur pro-
hibet cum ratio instituti, tum rerum
aliarum dignitas atque amplitudo: ne
autem illas penitus prætereamus, non
finit Majorum nostrorum assiduus labor;
& perantiqua literarii certaminis insti-
tutio. In hoc ergo libro de Scholarum

D finem librorum,
quos de Uno, Tri-
noque Deo susce-
peram exornan-
dos, mihi tan-
dem properanti
occurrunt pro-
lixæ, ac perdiffi-

circa Trinitatem placitis talem placet
tenere methodum, quæ proponat bre-
vique resolvat Scholasticas disceptatio-
nes; ut debellatis jam longo certamine
Hæreticis, Criticisque devictis, eos
etiam, qui aut domestica; aut ludicra
bella inferunt, exerceamus, ac tran-
quilliori posthac animo à Divinitatis ar-
cano ad spiritales, corporeasque crea-
turas nostra convertatur oratio. Ne-
que vero timemus quin differentibus no-
bis adsit lectorum conjuncta cum singu-
lari comitate tolerantia; dum, nisi ra-
tificationibus peracutos & excultos
eloquio, breviloquentes saltem futuros
nos esse paciscimur.

C A P U T I.

Non posse intellectum creatum naturali facultate certam
Trinitatis comparare sibi notitiam.

S U M M A R I U M.

1. Status quæstionis.

2. Probat, nullum acie naturalis ingenii,
Imo nec fide imbutum posse mysterium
Trinitatis humanis argumentis evincere.

à num. 3. usque ad 9. Solvuntur quædam ob-
jectiones.

1.
An in intel-
lectu creato
certa notitia
de Trinitate.

TRINITATIS mysterium laudabili
ausu, miroque ingenio invenisse
Platonem scripsit quinto sæculo
Claudianus Mamertus; & plura illius
arcani vestigia in libris Mercurii Trismeg-
isti, & in Oraculis Sibyllarum depre-
henduntur. Ingenii acumine altissima
R. P. Berti Theol. Tom. II.

quæque mysteria contingi aiebat sæculo
duodecimo Abaelardus: divinarumque
personarum pluralitatem evinci arbitra-
batur circa finem sæculi xiii: Raymun-
dus Lullus demonstratione petita ab
æqualibus, quam vocant æquiparantiam.
Hi, alique viam huic quæstioni aperu-
runt:

runt: pro qua superfluum videtur repetere multiplex esse genus demonstrationis, per causam, ex effectibus, à simili, & ex aliis locis dialecticorum. Tantummodo prenotandum est; duo simul controverti, num ratio naturalis possit sese in hujus mysterii cognitionem assurgere, aut saltem revelatione supposita illud positiva argumentatione redere manifestum.

2.
Mysterium
Trinitatis
nec naturali
ingenio per-
ceptibile,
nec huma-
nis argu-
mentis evin-
cibile.

Probatio.

PROPOSITIO: Nullus acie naturalis ingenii valet Trinitatis mysterium percipere, nec fide imbutus illud humanis argumentis evincere.

Ostenditur Scripturis, PP. auctoritate, & ratione. Quod solius gratiae donum est, nemo sola natura duce consequitur: Notitia Trinitatis solius gratiae donum est: Ergo nemo hanc notitiam sola natura duce consequitur. Minor probatur ex verbis Matth. xi. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et cap. xvi. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* II. Hormisdas Papa in Epist. ad Justin. *Secretum, inquit, Trinitatis nec ulla visibilium, nec invisibilium creaturarum potuit investigare natura.* Ambrosius lib. de Fide cap. 10. *Impossibile est, generationis Verbi Divini scire secretum: mens defecit: vox silet.* Et S. P. Aug. lib. xv. de Trin. cap. xvi. *Quanam tandem vis intelligendi, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendent, quomodo sit Trinitas?* III. Omnis naturalis cognitio duplicem habere potest sui causam, vel praenotionem creaturarum, vel ideam anticipatam & ingentiam: Ex neutro principio hauriri potest Trinitatis notitia: Ergo nullatenus haec poterit esse naturalis. Prob. min. Non sufficit praenotio rerum creaturarum, quoniam haec trahunt in Dei cognitionem, tanquam effectus à prima causa producti; & virtus illarum creatrix, quae est toti Trinitati communis, ad unitatem spectat divinitatis, nec proficiscitur ex proprietate personae; ita ut, si in una tantum hypostasi Dei natura subsisteret, adhuc ratio haberetur Creatoris, & creaturae. Nec satis est insita idea Dei, quia haec exhibet rationem summi boni, independentis, infiniti, per se existentis; quae pariter solam infert unitatem divinitatis. Sive ergo praenotio creaturarum, sive anticipatio idearum nequit perceptionem parere Trinitatis. Haec vero probant positionem nostram facta quoque revelatione: quae naturalem vim aut

mentis, aut idearum non immutat, efficitque tantummodo, ut assentiamur veritati non apparenti propter revelationis auctoritatem. Praeformati autem fide facile demonstramus in Deo Trinitatem non repugnare, ejusque imagines ubique conspiciamus, prout liquet ex cap. 6. & 7. libri vii.

ADVERSUS HANC POSITIONEM
OBJECTIONES QUEDAM.

Opp. 1. Apost. ad Rom. i. 20. inquit: *Invisibilia enim ejus à creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et Sap. xiii. 1. *A magnitudine enim speciei & creaturae cognoscibiliter poterat horum Creator videri.* Utuntur hoc duplici testimonio Theologi, ut evincant ex rebus aspectabilibus unius summi Numinis existentiam. At S. P. Augustinus lib. xv. de Trinit. cap. 2. assert utrumque testimonium, *ne fidelium quispiam frustra, & inaniter existimet, se quassisse in creatura indicia summae Trinitatis.* Igitur quomodo Dei existentia, ita & Trinitas ex rerum aspectabilium contemplatione dignoscitur. Et quidem S. Pater praecedentibus libris comprobaverat Dei Trinitatem exemplis creaturarum, quae lib. vii. additis pluribus aliis fuerunt producta; & quae videntur hanc assertionem evertere.

Resp. Utique deprehendi accedente lumine fidei in rebus conditis Triados vestigia, sed, quoniam quidquid creatum est cum sola omnipotentia necessario connectitur, Deum omnipotentem aperte demonstrant, non Deum Trinum. Nam quae videntur Trinitatem referre, non eam exhibent equiparantia naturalis similitudinis, sed cogitatus mentis divinitus illustrata. Quod Augustinus eodem libro cap. 20. de Imagine sita in mente hominis cogitante & volente, ita monet: *Veruntamen caveat, ne hanc imaginem ita ei comparet, ut omnino existimet similem: sed potius in qualicunque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.* Affert praeterea multiplex inter has imagines Deumque discrimen: unum cap. vii. ejusdem libri, quod haec tria, id est, mens, notitia, & amor, *ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo;* cum contra divinitatis natura ita sit in Personis, ut unaquaeque sit Deus: alterum cap. 23. *quod ista Imago, quod est homo, habens illa tria una persona est;* & in Deo tres distinctae personae sunt una eademque divinitas: tertium cap. 22. quod homo adeptus

3.
Obiectio 1.

4.
Solutio.

adeptus intelligendo notitiam, aut charitatem amando, non est hæc, *sed hæc habet*; & Verbum Patris, & amborum Amor sunt eadem Patris substantia. Hisce regulis comparationes omnes cap. 7. lib. VII. pensabis. Dum enim subit naturalis cogitatio, aut Deum esse intelligentem, aut naturam esse boni se diffundere, aut amicitiam versari inter plures, aut perfectionem esse viventium gignere filium: occurret simul prudens animadversio, solam fidem nobis proponere posse dari verbum ejusdem cum intelligente naturæ, communicari bonum alteri substantia indistincto, dari in confortio amicitiae indivisibilem Deitatem; reperiri genitum substantialiter à genitante indivisum: quæ, priusquam accedat donum descendens à Patre luminum, nec firmiter credi possunt, nec salubriter inveniri, nec veraciter cogitari.

5. *Objectio 2.* Opp. 2. Antiqui Philosophi naturalium lumine divinarum Personarum pluralitatem affecti sunt. Mercurius Trismegistus fertur hæc protulisse: *Monas genuit Monadem, & in se suam reflexit ardorem.* Commendant Aristoteles, & Pythagoras ternarium numerum tanquam symbolum divinitatis. In Platonis Timæo hoc exponi mysterium, notat in 2. de Præparat. Evangelica Eusebius. In Platoniorum libris multiplicibus rationibus suaderi æternam Verbi apud Patrem existentiam testatur S. P. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 9. Meminit Patris & Filii etiam Zoroastres in Magicis. Plura de Christi divinitate, eaque illustria proferuntur in Oraculis Sybyllinis. Potest ergo nativa rationalis creaturæ facultas ad hanc notitiam pertingere.

6. *Solutio.* Resp. nego ant. Qui enim sub Mercurii nomine circumferuntur libri, suppositi sunt, neque ætatem præcedunt Apostolorum, ut dudum eruditi viri observarunt, Petavius lib. 1. de Trin. cap. 2. Du-Pin in sua Bibl. Tom. pag. 35. omnesque naris emunctæ Critici. In his enim passim occurrunt Evangelii Joannis verba, & Græca explanantur vocabula, cum Mercurius floruerit, quisquis tandem ille sit, antequam vel ipsum Græcorum nomen audiretur. Sed dato genuina esse Opera Trismegisti, dicitur in his Monas genuisse Monadem, id est, unus unum, de productione mundi, qui unus est, & conditus ab uno Deo, usurpato verbo *genuit*, pro creavit more usitato Græcorum. Ternarium numerum Pythagoras, & Aristot. commendant, eumque gentes summa

R. P. Berti Theol. Tom. II.

in Sacrificiis religione adhibuerunt, quod cæteris præstantior sit, habeatque principii, medii, ac finis rationem, ob triplicem unitatem. Imo Pythagoras Quaternarium præferebat, in quo solitus erat jurare; & in octavo summam esse perfectionis symbola Sacrorum librorum demonstrant. Plura de his Bongus, qui tamen demonstraturus Ternarii excellentissimam naturam ex quo Christus tertia die resurrexit, & Paulus tertia oratione confortatus est, videtur pueriliter ludere, cum plurima sint etiam Ternarii numeri valde infausta, ut percussio Benadab, confossio Absolom, ac trium dierum, regnante Davide, pestilentia. Neque de se numeri bonum, aut malum portentant, etsi ratione rerum, quæ numerantur, noceant aliquando, vel prosint.

7. *Refutantur Platonici.* Platonici potuerunt ex Hebraeis nonnulla audire mysteria, siue fuerint ante expeditionem Alexandri aliqui Sacri libri in Græcum translati, ut docent viri de Ecclesiastica historia benemeriti Huetius, & Alexander; siue Gentiles Philosophi cum Judæis fuerint conversati: quod de Aristotele scribit Clearchus apud Josephum Flavium in 1. contra Apionem, & Euf. in 1x. de Præp. Evangelica cap. 5. & 6. idque de Platone credendum est, quem constat discendi cupiditate majorem orbis partem peragrassæ. In libris tamen Platoniciis plures distinguuntur gradus divinitatis, Tagaton, siue causam, Demiurgum, & ideam universorum, aliosque Deorum ordines, ut lares & dæmones, uti observant Proclus in Comment. ad Timæum, Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, & S. P. August. lib. XI. de Civ. Dei cap. 16. Quamobrem Verbum Dei cognovit quidem Plato, ut ait idem Aug. in VII. Confess. sed inferiorem Tagato divinitate: & ipse: ut arbitror, semina projecit Arianismi. Sunt hujus generis quisquiliæ, quas proferunt à Zoroastre, aut supposititiæ, aut Arianicæ, & fortassis utrunque.

8. *Quid de Sybyllinis oraculis.* Eadem fere est ratio de Sybyllinis Oraculis, quæ spuria censent, non solum Blondellus, Markius, Oudinus, Vossius, Clericus, sed etiam Posssevinus, & alii complures, qui Auctorem in tempore Hadriani, aut Commodi, & citius etiam ruminant; & quamvis carmina Sybyllarum à xv. viris Romæ asserta omnes fateantur, quæ tamen nunc extant notis innumeris apparent post ætatem Apostolorum confarcinata. Nil ergo mirum, si Filium Dei Christum prædicant. Quod si cum Hugone Grotio con-

contendas versus Sibyllarum esse à Judæis editos Græco idiomate, etsi falsa est hæc opinio, sequitur Religionis arcana fideles tantummodo prodidisse. Si demum fervari adhuc vaticinia Sibyllarum existimas; his mysteria prænoscere divinitus concessum est. Ait enim in 1. adversus Jovinianum beatus Hieronymus: *Sibyllarum insigne virginitas, & virginitatis præmium divinatio.*

Opp. ultimo: Quod non demonstra-

tur impossibile, demonstratur possibile: Mysterium Trinitatis non demonstratur impossibile: Ergo demonstratur possibile. Resp. dist. ma. Si demonstrari possit, habeatque in humana mente notionem aliquam & ideam, conc. si nulla ejus prænotio, aut idea succurrat menti, nego. Porro, revelatione seclusa, nulla occurrat individua Trinitatis perceptio, ideoque nullo nisi potest naturalis ratio illius possibilitatem evincere.

Objectio cum soludo ne.

CAPUT II.

Quinam sit divinarum Processionum numerus, & quale principium.

SUMMARIUM.

1. & 2. habentur aliqua notanda circa statum quæstionis.
3. Ostenditur, dari in Deo verum aliquod generationis, & spirationis principium.
4. & 5. diluuntur opposita.
6. Afferitur, solam hypostasim, aut relationem non esse principium D. processionum.
7. Solvitur objectio.

8. Defenditur, nec solam naturam esse Principium D. processionum.
9. Propugnatur, non esse in Deo admittendum aliquod principium quo à principio quod sentu complexo distinctum.
- à num. 10. usque ad 13. expediuntur aliorum placita.
- à num. 14. usque ad 20. satisfit objectionibus.

Processionum D. quis numerus & principium.

Hoc *Processionis* vocabulum, quod specialiter aptatur Spiritui Sancto, ampliori significatione etiam Filii generationem complectitur: unde *Processio* nihil est aliud, quam origo unius divinæ Personæ ab alia. Hanc immanentem esse, substantialem, ac necessariam fides docet, ut naturalem illam & incommutabilem nativitatem & spirationem fecernat quisque à libera & contingenti productione creaturarum. Et *processiones* in Deo esse admittendas, satis superque lib. VII. demonstravimus; ibique refutavimus argumenta, quibus Heterodoxi conantur evincere, aut unius substantiæ unam esse personam, aut unius processionem ab alia naturam evertere divinitatis. Hæc cap. 6. & 10. fuerunt exagitata. Non videtur ergo in hac quæstione immorandum: neque recudenda sunt, quæ obstare videntur ob rationem principii, *entis à se, & essentiæ irreceptæ*; cum in Filio & Spiritu Sancto non temporis diversitatem, non dependentiæ rationem, non esse productum à causa, sed solam discrepantiam originis profiteamur.

Ex eodem libro septimo constat duas tantum in divinis admittendas esse *Processiones*, hoc est, Generationem Filii à Patre, & Spiritus Sancti originem ab utroque. Cur vero Filius generare non debeat, nec in Deo admitti debeant plures his intrinsecæ emanationes, neque dentur divinarum attributorum termini

intrinseci substantiales; cur etiam Spiritus Sanctus neque spiret, neque generet, diximus in resp. ad argumenta Wozogenii citato cap. 7. & 10.

Remanet ergo videndum quodnam sit harum *Processionum* principium, an natura, an hypostasis, an utrumque. Nominine autem principii intelligimus id, in quo sita est ratio potentie generandi, aut spirandi. Aureolus dist. VII. q. 1. art. 2. nullam istiusmodi activam potentiam agnoscit præter connexionem & non repugnantiam terminorum, qualis est potentia, qua Deus potest esse Deus, homo homo, brutum brutum. Doctores alii putant distinguendum esse inter principium *quod*, & principium *quo*; & illud quidem esse Personam subsistentem, non est qui vertat in dubium. At de principio *quo* dissentiant ab invicem. Statuit Durandus principium *quo* in sola natura, quatenus est fecunda etiam præconcepta ad intellectionem, ac volitionem: quam sententiam appellat Ludovicus Bancel errorem in fide. Quidam cum Dionysio Carthusiano, ac D. Bonaventura reponunt hoc principium in sola relatione, sive personali proprietate. Thomistæ, quibus subscribunt Juenin, Tournely, Habert, Boucat, Florez, præter turbam veterum, recentiumque, constituunt illud in intellectu & voluntate, quatenus connotant relativum, scilicet, rationem constitutivam Personæ. Non nihil ab his discrepant Scoti affectæ, qui cum

Quodnam principium harum Processionum.

cum animadvertant intelligendi & volendi actus esse tribus personis communes, actus alios *formaliter* diversos invenerunt, in quibus Verbi generationem, & spirationem arbitrantur consistere, quorum unum *ditionem* appellant, alterum *spirationem*. Conveniunt autem utriusque partis Theologi, quod præter principium *quod*, idest personam, aliud principium *quo*, qualecumque demum sit, contentiose propugnant aliqua ratione à natura distinctum, quam etiam principium *quo* remotum esse non dissidentur.

2. Enunciatio-
nes proban-
tur.

Nos, qui distinctionem omnem intrinsecam à simplicissima natura Dei eliminamus, priusquam nostram proferamus opinionem, prænotamus, probare nos enunciationes huiusmodi: *Essentia est virtus generativa Dei*, quæ sunt verba Cyrilli in 1. Thesaurorum cap. 7. & *Divina natura est generativum principium, quo Pater filium generat*: ut less. 18. Florentini Conc. ait Joannes Theologus; necnon, *Verbum gignitur intellectu, vel dictione Patris*, pluresque consimiles. Quis enim hæc esse apud PP. usitatissima ignorat? quis hæc non pronunciat? Sed cum propositiones illæ duplicem sensum admittant, *complexum* nempe, atque *incomplexum*, utrumque dicimus esse exponendum. In exemplo sit: hæc enunciatio, *Filius genitus est à Patris substantia*, aut, *Filius est Verbum ac Sapientia Patris*, hunc sensum habet, quem placet cum nostro Ariminensi appellare *incomplexum*, Filius est genitus à Patre, qui est sua substantia, suamet sapientia; & sensum hunc admittimus, & traditum novimus ab Augustino, qui frequentissime docet Patrem esse quidquid est, substantiam, vitam, intellectum, &c. ut pluribus demonstratum est lib. 11. cap. 3. Sed habet præfata enunciatio alium sensum *complexum*, & formam quamdam Patri generanti superaddit, idest, Filius gignitur è substantia, quæ est aliquid à Persona Patris distinctum; sive procedit per intellectum, qui est potentia hypostasi superaddita: & sensum istum respuendum esse censemus, tanquam divinæ oppositum simplicitati. Hæc autem, licet citati cap. 3. libri 11. sint confectaria, variis nunc assertionibus explicabuntur.

3. Principium
generationis
& spirationis
affirmatur.
Probatur
contra Au-
golum.

PROPOSITIO I. Datur in Deo verum aliquod, ac proprium generationis, & spirationis principium. Adversus Aureolum sic breviter probatur. I. Pater non constituitur in ratione Patris hoc solo, quod Filius non repugnet, sed quod illum revera gene-

ret; Ergo præter non repugnantiam terminorum, aliquod generationis principium admittendum est. Prob. ant. PP. testimonio, ac ratione. Etenim S. P. August. in v. de Trinit. cap. 14. *Pater*, inquit, *ad Filium principium est, quia genuit eum*. Igitur Filius est à Patre per veram generationem, non per solam non repugnantiam. Tum, generatio est actus principii Filium producentis: In Deo est generatio: Ergo actus principii Filium producentis in Deo est; & quomodo vera negari generatio non potest, ita nec proprium generationis principium. II. Non repugnantia probat in Deo aliquid esse *illative* tantum & argumentatione logica, non per originem, ac naturali generatione: Atqui Filius est à Patre non *illative* tantum, sed substantiali generatione & origine: Ergo non est principium Filii sola non repugnantia. III. Quælibet potentia, quæ refertur ad terminum à se productum, est vera potentia: Principium generationis Verbi refertur ad terminum productum: Ergo principium generationis Verbi est vera potentia.

4. Objecto
cum solutio-
ne.

Opp. 1. In Patre non est potentia, ut se faciat Patrem; Ergo in Patre non est vera potentia, qua generet Filium. Resp. dist. ant. Non est in Patre potentia ut se faciat Patrem & generet, ea potentia quæ est ad actum, concedo: ea potentia, quæ est ad terminum, nego. Potentia ad actum est, qua potest quispiam sibi dare perfectionem aliquam, ut homo potens intelligere valet prodire in actum, & dare sibi eam, qua carebat, formam intellectionis: quæ potentia, uti supponit rem mutabilem, ita Deo videtur indigna. At potentia ad terminum tantummodo est illa, quæ nullo superveniente actu ex parte principii, dat termino aut existentiam, aut perfectionem, qualis est potentia mundum procreandi, & in Patre sempiternum Filium gignendi: quæ quidem, si est potentia ad terminum extrinsecum, & creatum infert in eo finitatem ac dependentiam, ut in mundo: si ad terminum intrinsecum & procedentem, solam relationis originem, ut in Filio.

5. Objecto
cum solutio-
ne.

Opp. 2. Potentia productiva Filii est perfectio *simpliciter*: Ergo si in Patre sit vera potentia Filii productiva, erit in Patre perfectio *simpliciter simplex*, quæ non invenitur in Filio.

Resp. dist. ant. Potentia productiva Filii est perfectio *simpliciter*, & *incomplexa* significabilis, idest, penitus indistincta à perfectione substantiæ Patris, conc. Est perfectio *simpliciter*, & signifi-

ficabilis *complexe*, scilicet, forma aliqua superaddita Patris substantiæ; nego ant. & quod inde consequitur. Nam cum Filius habeat eandem cum Patre divinitatem, habet etiam omnem perfectionem illius, & licet Pater non sit, est tamen eadem bonitas, quæ est Pater.

6.
Principium
non est sola
hypostasis
aut relatio.
Probatur.

PROPOSITIO II. Principium divinarum processionum non est sola hypostasis, aut relatio.

Enimvero, ut Anselmus ait in cap. 54. Monologii, *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo in quo unum sunt.* Videlicet, principium generationis debet etiam complecti naturam, quæ in ambobus est una, cum Filius ratione generationis procedat ut Deus: Ergo relatio aut personalitas, si naturam sejunxeris, non est completum generationis principium.

7.
Obiectio
cum solutio-
ne.

Oppones: Relativa proprietas est Patri principium essendi *personaliter*: Ergo est etiam principium *personaliter* operandi. Resp. dist. ant. Relativa proprietas est principium essendi *incomplexe* significabile, quod est ipsamet natura cum termini connotatione, conc. Significabile *complexe*, & naturæ adventitium, nego.

8.
Sola natura
non est prin-
cipium.

PROPOSITIO III. Sola natura non est principium processionum divinarum.

Liquet; nam quicquid tribus personis commune est, illarum nequit esse principium: Natura personis communis est; Ergo natura nequit illarum esse principium. Hinc jure merito IV. Lateranense Concilium celebratum anno 1275. definivit contra Abbatem Joachim, quod *Essentia non est generans, neque genita, neque procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit.*

9.
Principium
quo non ad-
mittitur.

PROPOSITIO IV. Non est in Deo admittendum aliquod principium quo à principio quod sensu *complexo* distinctum.

Demonstratur propositio argumentis quibusdam communibus, postea particularibus contra aliorum opiniones. Sunt autem communia, & quæ simul Durandi, Thomistarum, & Scoti opinionem impugnant, hæc tria. I. Si forma aliqua aut substantialis, aut accidentaliter divinitus separata consistat, & simplex sit, nec per aliam perficiatur, est sola principium & quod producit, & quo producit: concreta vero ideo forma, & principio quo operantur, quoniam simplicia non sunt, & adveniente potentia & facultate complentur. At Deus Pater, cum majori simplicitate ac perfectione præditus sit, quam forma quæque creata, est ipsa sua potentia,

ipse suus actus, neque ulla adventitia qualitate perficitur. Frustra igitur in Patre duplex principium admittitur. II. Principium quo aut est Patri intrinsecum, aut extrinsecum: non extrinsecum, cum nullum tale in Deo locum habeat: non intrinsecum, dum nulla forma, *entitas* nulla sit à Paternitate distincta. Igitur nullum est hujusmodi principium quo. III. Nisi Pater per se primo, absque principio alio gigneret filium, non esset ipse absque omni principio, quod enim operatur per aliquid aliud, recipit *aliqua* esse, ut anima à mente, qua percipit, sit rationalis, ignis à qualitate, qua agit sit calidus; idque præsertim in Adversariorum sistemate, qui distinguunt potentias ab anima, atque proprietates à forma. Ergo si in Patre principium quo in sensu *complexo* constituatur, recipiet Pater entitatem aliquam; nec erit, ut firmissime creditur, principium sine principio.

Breviter nunc aliorum placita expedit. Principium quo non est, ut opinabatur Durandus, natura sine intellectio- ne, & voluntate: non est intellectus & voluntas, ut docent Thomistæ, neque ut placet Scotistis, *dictio & spiratio*: Ergo nullum. Probat. ant. contra Durandum: Filius est Verbum Patris, Dei ratio, idea rerum universalium, & Theologi ac Patres comparatione verbi mentis nostræ æternam exponunt generationem: Igitur Filius procedit ex mente, & intellectu Patris, aut, à Patre, qui est sua mens, sua potentia, sua cogitatio.

Probatur contra Thomistas. Quodcunque principium generationis debet à Genito distingui: Neque intellectus, neque natura distinguuntur à Genito: Ergo neque intellectus, neque natura esse possunt generationis principium. Atque hæc ratio confirmatur allata definitione Lateranensis Concilii. Respondent tamen primum, non esse distinguendum à termino principium quo, sed duntaxat principium quod: deinde, naturam, intellectum, voluntatem esse quidem principium, sed quatenus *modificantur* relatione, & personali proprietate. Verum adversus priorem responsionem arguit Gregorius Ariminensis. I. Nequit excogitari principium, qualecunque illud sit, nisi sit principium alterius: quodlibet enim principium alterius, non sui principium sit, est necesse; Ergo si principium quo est principium, alterius non sui debet esse principium, & consequenter & istud à principio distinguatur. Præterea S. Thomas q. 41. art. 5. demonstratur potentiam gene-
ran-

10.
Explicatio
principii
quo.

11.
Probatur
contra Tho-
mistas.

randi non esse relationem, sed essentiam, *Illud, inquit, proprie dicitur potentia in quocunque agente, quo agens agit*: Ergo fatetur principium, quodcunque illud sit, referri ad alterum: & argumentum, quo utitur, videlicet, *Omne producens producit sibi simile, sed Filius Dei similatur Patri in natura, igitur natura Divina est in Patre potentia generandi*; argumentum, inquam, istud posset hoc modo inverti: Natura Divina non producit sibi simile: potentia generandi est actio producens simile: ergo natura Divina non est potentia generandi. Me non fugit, nobilissimos Thomistas reponere, confundi à me inani verborum involucri principium, potentiam, generationem. At me satis munitum arbitror, si repetam in simplicissima divinitate idem esse generationem ac potentiam & principium, principium & personam, personam & substantiam: & principium generationis esse Patrem, qui est ipsa sua natura, ipsa sua generatio, non quidem absolute, sed comparate ad terminum subsistentem, hoc est, ad Filium.

12.
Explicatio
ulterior.

In altera autem responsione paullulum sistendum est. Nam hoc D. Thomæ assertum, *Natura & intellectus sunt principium generationis, quatenus in obliquo significant relationem*; aliquo sensu verum est, aliquo falsum. In sensu *incomplexo*, quo significatur principium generationis esse Patrem, qui est sua natura, sua mens, sua voluntas, enuntiatur rectissime; quippe neque nos excludimus naturam, & intellectum à ratione principii, si dicimus principium generationis esse Patrem, qui est sua mens & substantia. At in sensu *complexo* superius exposito non potest assertum illud admitti; cum & nulla detur potentia superaddita hypostasi, & omne principium sit alterius, non sui, & distinguatur à principiatio.

13.
Contra Scotistas.

Adversus Scotistas præter ea, quæ hæcenus dicta sunt, militat, quod in Deo *nihil aliud est apud se dicere, & apud se cogitare*, ut ait lib. 3. ad Monimum Fulgentius, & frustra Subtilis Doctor actus *notionales* multiplicat. Quod si velis appellare *ditionem* actum intellectionis paternæ prout refertur ad Verbum, liceat per me quidem: sed erit revera principium Filii sapiens Pater, cui idem est esse quod sapere; & terminus generationis Verbum, & sapientia Patris, cui idem est esse sapientiam & prolem, cum in Deo sit vere una simplex essentia, quomodo explicat lib. vii. de Trinitate cap. i. Augustinus.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM OBJECTA.

Opp. 1. Si principium generationis esset quidquid est Pater, foret generationis principium Divina quoque natura. At hæc nec est generans, nec genita, ut definivit Lateranense Concilium. Ergo principium Divinæ generationis nequit esse quidquid est Pater.

14.
Obiectio

Resp. dist. min. Divina natura non est generans nec genita, si accipiatur *incomplexè*, id est, pro Persona, quæ est suamet natura, & prout relative dicitur; nego. Si accipiatur *complexè*, quatenus superadditur personæ, & prout dicitur absolute, conc. minorem, & nego *suppositum*, quoniam natura ista communis non est aliquo modo intrinsece distincta à personis, sed est, ut ait Concilium Lateranense, *Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit*. Itaque animadvertite Abbatem Joachim non veram, & propriam unionem admisisse inter naturam & personam, sed collectivam tantum, & similitudinariam, unde quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam. Existimabat ergo Essentiam, seu naturam tribus personis communem esse principium generationis in Patre, & terminum generationis in Filio, id est esse generantem & genitam, in sensu *complexo*, & quasi esset in Deo quaternitas, scilicet hæc natura distincta à personis. Quæ doctrina blasphemia est, & hæretica, & confoditur à memorata Synodo hac definitione: *in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura Divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura*. Neque aliam causam definitionis istiusmodi assert sacra Lateranensis Synodus, nisi, *quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earundem*. Quisquis ergo præjudicia Scholæ velit abjicere, fatebitur nullam sententiam magis coherere præfatæ definitioni, quam nostram. Etenim hæc docet essentiam communem non esse generantem, nec genitam, nec procedentem: docet nul-

15.
Resolutio.

lam

lam dari veluti quartam rem, aut formam, quæ sit divinarum processionum sive terminus, sive principium: docet generare Patrem, gigni Filium, procedere Spiritum Sanctum, qui sunt eadem essentia: docet hanc ineffabilem & incomprehensibilem Trinitatem talem esse non propter intrinsecam aliquam distinctionem aut *formalem*, aut *virtualem*, sed ex eo quod in Deo quædam summa res est, videlicet essentia, præter quod aliud principium inveniri non potest; sive ex quo Deus sit summa res, quæ est Pater generans, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens, nullam in illis ac inter illos dari distinctionem, præter Personalem ac relativam, nec rationem *formalem* principii quoquo modo distincti à personis superinducit. Docet denique naturæ & essentiae vocabula, quæ absolute dicuntur, non significare principium & personam, quæ nomina sunt relativa, tametsi persona, principium, & natura sint una res summa, simplex, incomprehensibilis.

16. *Opp. 2.* Divina essentia absque intellectu & voluntate fecunda est; non ergo hæc attributa *processionum* divinarum debent constituere principium. *Ant. prob.* tum exemplo naturæ humanæ, quæ fecunda est se ipsa, cum ratione intellectiois, quæ non est suapte natura ullius termini productiva.

Solutio. Resp. nego ant. & quod à Durando in hac argutatione supponitur: non enim natura Dei, quæ est res summa atque simplicissima, aliud est à voluntate & intellectu, nisi figmento humanæ cogitationis. Ad probationem vero dicendum, in natura humana aliud esse potentiam generandi, aliud facultatem intelligendi ob eandem rationem, videlicet, quia non est res quædam summe simplex, in qua & natura & intellectio sint idem. Creata pariter intellectio nequit esse substantialis termini productiva, propterea quod non est eadem natura, ut in Deo, sed accidentalis perfectio substantiæ rationali adventitia.

17. *Opp. 3.* Si Filius vi suæ processionis est Verbum, & Spiritus Sanctus est amor, quomodo Scripturæ, Patres, & universi Theologi profitentur, oportet ut Filius per intellectum procedat, Spiritus Sanctus per voluntatem, neque voluntas sit per se principium generationis, nec intellectus spirationis. Ergo cum florentissima Thomistarum Schola hæc duo principia *virtualiter* à natura distincta debent propugnari. Probatur ant. primo quia in hac tantum sententia assignatur ratio, cur in Deo sint duæ *processiones*

tantummodo, generatio, & spiratio. Cum enim spiritualis substantiæ duæ dentur operationes *ad intra*, hoc est intelligere, & velle, & una opus sit intellectus, altera voluntatis, ex illa verbum, ex ista autem sit amor: quid ad percipiendum Trinitatis arcanum, atque ad explicandum *processionum* divinarum discrimen aptius & commodius proferri potest, quam duplex illud principium *quo*, virorum doctissimorum suffragio probatum? Præterea, si utraque *processio* intellectum & voluntatem pari ratione complectitur; quare *nominalia* Filii nomina sunt Verbum, ratio, sapientia, aliaque huiusmodi quæ ad intellectum comparantur, Spiritus vero appellatur amor, & charitas comparate ad voluntatem, & non vicissim, Filius Amor, Spiritus Verbum communi appellatione dicuntur?

Resp. nego ant. si *per* reddat sensum *complexum* supra explicatum: intellectus enim & voluntas eadem summa res est cum natura, & qualibet persona; nec ille est principium Filii, nisi sensu *incomplexo*, prout principium Filii est Pater, qui est suamet intellectio, nec voluntas est principium Spiritus Sancti, nisi hoc sensu, quod Pater & Filius, qui sunt unum Spiritus Sancti principium, sunt summa illa res, quæ est sua voluntas. Ad probationem principio fatendum est, non posse imbecillitatem ingenii mei aperitissimam causam reddere, cur in Divinis duæ sint *processiones*, & una sit generatio, altera non, nec satis percipere quomodo sola *virtualis* distinctio realem Verbi, & Spiritus Sancti explicare valeat distinctionem, & quod fides mysterium appellat incomprehensibile, firmissima tamen confessione tenendum, aut tanta facilitate exponatur, aut in Thomistica distinctione, quam negat magna pars Theologorum, sit tanta confidentia locandum. Deinde, cum his non acquiescant homines nimium ingenii viribus indulgentes, dico intellectiois esse opus unius mentis cogitantis; charitatem, ut inquit Homil. 17. Gregorius, *versari inter duos*, Quare sine Thomistica distinctionis adminiculo distinguo hanc Propositionem, Dantur duæ operationes *ad intra*, intelligere & velle, unde procedunt Verbum, & Amor, si intelligere & velle accipiantur *complexæ*, ita ut sint principium *quo* hypostasibus superadditum, nego; sunt enim Divinæ personæ suam intelligere, & suam velle: si accipiantur *incomplexæ*, ita ut intelligere sit generatio Patris, qui est sua mens, & velle

18.
Solutio.

spi

spiratio Patris & Filii, qui sunt suamet voluntas, concedo. Petenti vero cur Filius, qui est à Patre, non sit Amor, si Pater est sua voluntas, pro modulo infirmitatis meae respondeo, Non est amor, quia minus quam inter duos charitas esse non potest; ideoque Amor debet procedere à voluntate quæ sit voluntas duorum, hoc est, à Patre & Filio qui sunt una voluntas. Atque petenti quare Spiritus Sanctus non est Verbum, si procedit à Patre & Filio, qui sunt eadem intellectio, pariter respondeo, Non est Verbum, quoniam istud unius intelligentis est opus, & consequenter Verbum ab uno intelligente procedit, videlicet ab uno Patre, qui est sua intellectio. Ita ergo sine ulla virtuali distinctione consistit Trinitas ineffabilis.

19. *Objectio ultima.* Opp. ultimo: Pater & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, non ratione personæ, sive hypostaseos, sed propter eandem virtutem spirandi, ut diximus lib. VII. cap. XVIII. ad 5. Ergo necessario ponendum est unum principium, quo ambo spirant à personis distinctum.

20. *Solutio.* Resp. nego consequentiam; nam Pa-

ter & Filius sunt eadem substantia, eademque virtus spirandi, & licet distinguantur hypostasi, nulla ratione distinguuntur intrinsece aut virtute, aut natura, unde petitur ratio principii: quod ibidem exemplo creationis explanatum est. Neque enim valet hæc argutatio: Personæ quæ spirant distinguuntur, principium spirandi est unum, ergo principium spirandi aliud est à personis: alias valeret hæc quoque blasphema consecutio: Personæ distinguuntur realiter, principium spirandi unum est, ergo principium spirandi distinguitur à personis, quæ spirant, realiter. At hoc genus argumentorum ea ratione dissolvitur, quod personæ spirantes dicuntur adinvicem *connotative* & oppositæ, non propterea quod sunt spirantes, sed quia una est generans, & alia genita: & inter personas quæ spirant & principium spirandi nulla intervenit oppositio. Oportet ergo, ut quemadmodum Pater & Filius sunt una natura, ita sint unum principium spirandi: & in hac enunciatione, Pater & Filius spirant per voluntatem, sensus teneatur *incomplexus*: quod satis monui.

C A P U T III.

Solam *processionem* Verbi esse generationem, sed hujus rei causam apertissimam non proferri.

S U M M A R I U M.

1. Status questionis.

2. 3. 4. & 5. Propugnatur, non posse à nobis evidentem rationem reddi, cur solus filius sit genitus.

6. 7. & 8. Afferitur, laudandos esse Scholasticos, quod illustrarint diversis in aliquo sensu veris sententiis D. processionem.

1. *Processio verbi generativa non est aperte.*

ET processionem quidem Verbi generationem esse ostendit caput IX. libri septimi. Spiritum Sanctum vero non esse Filium Catholica fides docet, quam demonstrat. Joan. cap. I. v. 18. affirmans Filium Dei *unigenitum* esse: Augustinus in v. de Trinitate cap. VI. scribens, *Spiritum Sanctum non esse filium, nec genitum*: Ecclesia demum universa, quæ in Symbolo dicto Athanasii constitetur Spiritum Sanctum esse à Patre, & Filio, *non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem*. Quare autem sola *processio* Verbi generatio sit, Theologi pluribus conantur exponere. Sunt qui Filium genitum esse docent, quod procedat ab uno; nullus quippe Filius duos Patres habere potest: quam rationem ex Augustino, utpote planiorem, protuli lib. VII. cap. XIV. in respons. ad penult. argumentum.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

Recurrunt Thomistæ ad suum principium quo, affirmantes Verbum esse egnitum, quia procedit per intellectum, cujus operatio est productiva imaginis, & pro hac sententia multa afferuntur à Petavio lib. VIII. de Trinit. testimonia PP. qui Filium appellant genuinum mentis factum, explanantque Divinam generationem exemplo verbi humana intellectione producti. Aliqui cum Augustino in v. de Trinit. hanc reddunt causam, Spiritum Sanctum non esse filium, quod exierit à Patre non quomodo natus, sed quomodo datus. Docet Richardus Filium esse genitum, quoniam est secundum naturam, quam accipit à Patre facundam, id est cum virtute spirandi tertiam Personam, quæ cum nullius principium sit, non procedit à Patre in similitudinem naturæ. Vasquesius ait Verbum esse genitum, quo-

T

quo-

quoniam Verbum per intellectum procedens perfecte Patrem repræsentat, adeoque est ejusdem imago; quam sententiam videtur etiam probare S. P. Augustinus Tract. 48. in Joannem dicens: *Quia Verbum, ideo Filius*. Suares hoc discrimen assignat, quod intellectio est Divinæ naturæ differentia specifica, & consequenter Verbum ex intellectu procedens habet originem à Patre in similitudinem naturæ. Nonnulli cum Anselmo cap. 55. Monologii arbitrantur Spiritum Sanctum non esse genitum, propterea quod procedit à duobus, & dicitur donum: donum vero potest esse simile, vel dissimile; quæ differentia parum differt ab ea, quam affert. August. lib. v. de Trinit. cap. 14. Gregorius de Arimino probat spirationem, & generationem distinguere *formaliter* se ipsis, sed non posse causam in hac mortalitatis caligine investigari: atque hoc postremum ex recentioribus existimat altitudini hujus mysterii magis congruum etiam Tournely, quamvis principium quo explicet cum Thomistis. Demum Franciscus Henno, alique Scotistæ tradunt Spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, quod voluntas non sit agens naturale, sed voluntarium ac liberum libertate essentiali, etiam respectu processionis Spiritus Sancti. Aperiemus autem mentem nostram sequentibus positionibus.

2. PROPOSITIO I. Cur solus Filius sit genitus, reddi à nobis evidens ratio non potest.

Id Patres, ut cavillationes redarguerent hæreticorum, ac nos commoverent coercendam esse in Fidei mysteriis humanæ mentis audaciam, luculentissime tradiderunt. *Quomodo genitus est?* ait Orat. 1. de Filio Nazianzenus, *Dei generatio honoretur silentio*. Clamat Ambrosius libro vi. in Lucam, *Non licet discutere quomodo natus sit*. Basilii, *Modus processionis inexplicabilis est*, inquit lib. de Spiritu Sancto cap. 18. *Ecce respondeo sive capias, sive non capias. De Patre est Filius: de Patre est Spiritus Sanctus; sed ille genitus, iste procedens. Quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest?* Ac subinde: *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio*: hæc magnus Augustinus in 111. contra Maximinum cap. quartodecimo.

3. Probatio ex ratione Theologica. Accedit Patrum auctoritati Theologica ratio. Non debet exigi Catholica

fides ad infirma, dubia, & minus valida momenta. At quaecunque discrimen proferas inter generationem, processionemque Divinam, non liquidum est, sed incertum, dispar, & parum enucleatum. Non ergo huc fides detrahi debet Catholica, ut quis manifestam aliquam discrepantiam asserere præsumat. Minorem probo: ac primo, quoniam magnæ notæ Theologi præfatas omnes opinioniones rejiciunt: alii unam amplectuntur, quam cæteri improbant: & qualemcumque præferas, singularis erit, non communis & certa.

4. Singillatim nunc easdem opinioniones expendo. Prima, quæ docet Spiritum Sanctum non esse genitum, quod non procedat ab uno, hanc patitur difficultatem; quod si productum eodem prorsus modo sit à duobus, non evidens assignatur ratio cur ejus productio discrepet à productione alterius, qui est duntaxat ab uno; quippe eodem penitus modo producit ignis, si ab uno igne generetur, quam si à duobus, non enim productionem immutat plurium causarum concursus: & ideo nequeunt duo homines eundem gignere filium, quoniam neque eandem naturam habent, neque eandem numero actionem. Recte tamen hanc discriminis rationem attuli contra Wolzogenium, quoniam deprimenti generationem divinam comparatione generationis humanæ, humanis quoque exemplis respondendum videbatur: at subinde monui, definire quid intersit inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti negotium esse perdifficile, ut simul altitudinem mysterii, & arrogantiam ostenderem hæreticorum. Neque firmior videtur Thomistarum opinio: quamquam enim voluntas, ut abstrahit ab humana & Divina nil producat nisi pondus, & inclinationem, non video quomodo hæc logica præcisio demonstret non esse assimilativam voluntatem Dei infinitam, & quæ idem est realiter cum intellectu & natura. Alioquin si ad hanc præcisionem deveniendum est, nec Verbum procedens per intellectum erit Filius, quandoquidem intellectus, ut abstrahit à creato, & increato, non realem imaginem producit, sed tantum intentionalem. Quo argumento pugnant contra Thomistas quamplurimi, & meo quidem judicio non male. Mihi tamen aliunde ea sententia improbat, quia scilicet fundatur in duplici illa principiorum ratione, quam arbitror commentum esse Scholasticum. Opinio tertia nec ipsa videtur evidens, quippe si Filius nequaquam generat, non

non recipit naturam facundam ea facunditate quam habet Pater, quæ est ad generandum. Porro Vasquesius recte affirmat Filium esse Verbum, genitum, ac Patri similem, sed quare Spiritus Sanctus, qui est similis, non sit imago, & quomodo consistat vera similitudo absque imagine, contemptor ille aliarum opinionum minime probat; & à Suaresio viro domestico singularis doctrinæ, ac modestiæ viro ejus doctrina rejicitur. Nec tamen Suaresius ipse nobis satisfacit, quin claudicat utroque pede; & dum statuit naturæ Divinæ differentiam specificam in intellectione, & dum constitutum metaphysicum ac logicum cum physico realique confundit. Verbum esse natum, & Spiritum Sanctum esse donum, quæ altera sententia est, nullus dubitat; sed illud controversatur, quare tertia persona sit data, non nata: unde qui eo confugunt, nubi nubem obducunt. Scotistis ideo assentire non possumus, quod *distinctionem* ab intellectione distinguant, & *formalitatibus* suis nimis credant. In Henno tandem nec istud placet, quod voluntas sit agens liberum libertate essentiali etiam respectu *processionis* Spiritus Sancti. Si enim liberum appellas quicquid non agit coacte, etiam Filius procedit per voluntatem: si liberum putas, quod agit indifferenter, neque Spiritus Sanctus voluntarie procedit; si Patrum sensa probentur, quæ cap. IX. libri VII. in quarta oppositione sunt explicata. Neque admitto, voluntatem esse *agentem*, cum sit proprietas absoluta, & à Spiritu Sancto distincta: omne vero agens ad aliud, cuius principium est, referatur.

5. Demonstratio. Ex his vero ita propositio demonstratur. Nequit manifesta ratio proferri de re, quam Patres vocant inexplicabilem, & Scholastici conantur exponere variis, incertisque principiis: Ita Divinæ *processiones* se habent: Ergo nequit divinarum *processionum*, & discriminis earundem evidens ratio proferri.

6. In aliquo sensu vera est sententia singulorum. PROPOSITIO II. Laudandi tamen sunt Scholastici, qui Divinas *processiones* tanta doctrinarum varietate conati sunt illustrare, & singulorum sententia aliquo sensu vera est.

7. Prosecutio. Ne quis ex dictis inferat temere in Scholis quæstionem hanc ventilari, aut existimet nefas esse pro humano captu res investigare Divinas, erat hæc thesis subijcienda: quam probo primum, quia Scholastici laudabilem Patrum consuetudinem sequuntur, qui tamen curiosos terrent, ne divinitatis arcana in-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

dagare præsumant, ad illa tamen illustranda plures afferunt comparationes, omniaque fere prædictarum doctrinarum pondera ipsi præbuerunt. Præterea cum hæretici nos sophismatibus, physicisque argumentationibus frequentissime provocent, oportet, ut, quotiescunque nolunt scripturis, ac traditioni acquiescere, eorum fallacia probabilioribus conjecturis refellantur. Ad hæc delectat nos, & ad Dei maiestatem contemplandam haud medioeriter trahit creatas illius imagines, licet longe dispares, inveni; & rationem fidei captivando ad lucem inaccessibilem propius accedere.

Quod vero inter humani ingenii conatus, qui falsitate subesse possunt, Auditores illi Scholastici veritatem laudabiliter illustraverint, mihi quidem satis est exploratum. Enimvero nihil est in sacris literis manifestius, quam Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere: nec experimento veritas aliqua magis patefit, quam unius Filii unum verum Patrem haberi; quæ prioris sententiæ sunt fundamenta. Quis insuper negare audebit Filium Dei esse Verbum, aut Verbum esse imaginem intelligentis semetipsum, aut Amorem versari inter duo, & proficisci à voluntate? At hæc est doctrinæ Thomisticæ basis. Filium quoque generationem exaurire paternam, nec aliam personam ab ipso gigni Catholica fides docet; & huic principio nititur Victorinus. Donum esse symbolum duorum se diligentium, & nexum quemdam, & nutrimentum Amoris, quod assument alii, communi sensu percipitur. Filium sapientiam & intellectionem Patris, unde proficiscitur Charitas, nemo negabit Vasquesio, vel Suaresio. Concedendum est etiam Scotistis, generationem esse per modum naturæ, & Filium produci à Patre *distinctione*, quæ duo vel sola idea generationis & Verbi satis evincit. Ergo Theologi omnes, quos appellant à Schola, quantum ad veritatis substantiam attinet, præclare de hac quæstione differerunt.

8. Ultinatio resolutionis. A pluribus itaque in hoc tantum dissentio, quod rejiciendum putò cum omni intrinseca distinctione famosum illud principium *quo* à personali proprietate distinctum: quod arbitror necti ab his aliquod mentis figmentum cum veritate firmissima: quod mihi datum non est ex verbo mentis nostræ Verbi Dei nativitatem percipere. Caterum omnes honore maximo prosequor; neque enim me fugit, nemini fuisse concessum solem pingere sine umbris.

T 2

CA-

CAPUT IV.

Quæritur an Spiritus Sanctus esset alia a riuo persona,
si ab eo non procederet.

SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.

2. 3. & 4. probatur, spiritum S. fore eandem personam cum filio; si ab hoc non procederet.

à num. 5 usque ad 11. responderetur ad Scotistarum fundamenta.

1.
An Spiritus
S. esset alia
Persona, si
non proce-
deret à Filio.

NON est prorsus inutilis hæc quæstio, uti quidam opinantur: conducit enim ad magis percipiendam rationem, cur Divinæ personæ realiter inter se distinguantur. Et quidem distingui ob *processionem* unius ab altera docent unanimiter viri Theologi: sed qui foret ablata originis relatione, id inter Scholasticos controversatur. Propugnant autem affirmativam sententiam Scotistæ, propterea quod, inquit, Filiatio, non spiratio activa Filium constituit, adeo, ut seipsa, si per impossibile à ratione spirandi foret divulsa, secundam personam à Patre, & Spiritu Sancto distingueret. Sed opposita sententia communior est futurum in ea hypothese, ut utraque in unam personam coalesceret.

Quid Gre-
gorius Ari-
minensis di-
cat.

Videtur nonnullis, atque etiam Gregorio Ariminensi, non esse hanc hypothese admittendam, quippe si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, nullatenus esset. Quid autem habere potest inutiliorem logomachiam, quam inquire, num distingueretur ab alia res, quæ modo est, si forte evaderet nihilum? Probant vero Spiritum Sanctum in prædicta hypothese non futurum, primo quod sit natura sua donum Filii, ut docet in v. de Trin. Augustinus, nexus ejusdem Filii cum Patre, amborum amor & charitas. At si à Filio non procederet, neque donum ejus esset, neque Amor, & idcirco non esset. Addunt, quod si tollatur causa necessaria & per se, debet tolli etiam effectus: cumque spiratio Filii sit per se principium Spiritus Sancti, nisi hoc detur principium, nec Spiritus Sanctus consisteret. Exemplum quoque afferunt creaturarum, quæ non essent, si ab una tantum persona producerentur, quoniam operationes Trinitatis *ad extra* sunt necessario inseparabiles, eo quod quælibet persona eandem habeat omnipotentiam: nam constat, uti virtutem creandi, ita spirandi vim Filium à Patre recipere. Hæc autem, ut acuta sint, videntur quæstionem declinare, non solve, quia Spiritus Sanctus non est tantum donum Filii, nec ab eo tan-

tum procedit, ideoque si non esset à Filio, non esset utique donum & amor duorum, sed esset tamen, reponent Scotistæ, Spiritus Patris, & haberet suum per se principium solum Patrem; quem admodum si per impossibile à solo Patre produceretur creatura aliqua, non esset quidem opus Trinitatis, produceretur tamen, & esset. Itaque ne videamur difficultatem eludere; admittatur hypothesis, licet sit impossibilis.

Ante quæstionis resolutionem præmit- ^{Assumptum} tendum est, assumptum Scotistarum, vi- ^{scotistarum} delicet, Filiatio distinguitur seipsa à spiratione passiva, in nostra sententia verum esse: etenim non datur in Filio, cum sit simplicissima & summa res, proprietas aliqua intrinseca à Filiatione distincta. Sed propter eandem rationem spiratio est eadem persona Filii, quia in Filio nequit esse proprietas aliqua, quæ non sit Filiatio. Quæ est enim hæc spiratio à Filiatione diversa? Si extrinsecus advenit, Filius inherens qualitatibus subicitur: si intrinseca est, non est simplex persona Filii, quæ præter Filiationem habet aliam sibi intrinsecam proprietatem. Erit ergo eadem Filii proprietas Filiatio & spiratio: Filiatio quatenus connotat primam personam generantem: Spiratio autem si comparatur ad tertiam. Atque hæc ex nostris principiis, & ex præcedenti capite 11. apertissime consequuntur. Hac itaque cautione assumptum illud Scotisticum & ego approbo.

PROPOSITIO: Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, essent una, eademque persona. ^{2. Propositio.}

DEMONSTRATUR 1. Notum est Theologicum axioma: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Traditum est illud ab Augustino Tract. xxxix. in Joann. his verbis: *Hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt:* à Concilio Toletano XI. iisdem omnino verbis: à Florentino sess. xviii. sequentibus: *Est vero secundum Doctores tam Græcos, quam Latinos sola relatio, quæ multiplicat personas.* ^{Si non procederet, essent una eademque Persona. Probatur.}

sonas in divinis productionibus, quæ vocatur originis: & etiam ab Anselmo, quem pro se maxime Adversarii producunt, de processione Spiritus Sancti cap. 11. ubi expresse docet solam oppositionis relationem facere personarum discrimen. *Relationis oppositio*, inquit, *quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria singulorum aliis attribui.* Et statim: *Sic ergo huius unitatis, & huius relationis consequentia se contemperant, ut nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio, nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obstitit unitas inseparabilis.* Quæ sunt tam aperta, ut merito Cl. Petavius lib. VII. de Trinit. cap. IX. num. VII. rem miram appellet, à Theologo, qui attente Anselmi legisset verba, affirmari hoc potuisse, beatum Anselmum aliunde repetere divinarum personarum discrimen, quam à relatione oppositionis. Ex dictis vero ita argumentari fas est. Si Spiritus Sanctus non procedat à Filio, non est inter utrumque oppositionis relatio: Si non est inter utrumque oppositionis relatio, nulla est inter eos personalis distinctio: Ergo, &c.

3.
Obiectio
Scotistica.

Solvitur.

Respondere solent Scotistæ cum Maestro, utique Divinas personas distingui per relationem, sed in hypothesi satis esset relatio *disparata*. Addit Cardinalis Branchatus, Concilia & Patres loqui de facto, quoniam de facto Spiritus Sanctus originem habet à Filio. At debiliora videntur hæc subterfugia. Primo quoniam non qualemcumque relationem Concilia & Patres commemorant, sed relationem oppositionis, sive originis, & hæc sola docent in Deo numerum insinuari. Deinde quia relationes *disparatæ*, si à processione segregentur, non sunt ad invicem. Rursus quia *disparatæ* relationes nunc in eadem persona consistunt, in Patre in quo est *paternitas & spiratio*, & in Filio in quo est *spiratio & filietas*. Ut ergo sunt modo duæ relationes *disparatæ* in eodem principio, propterea quod non opponuntur ad invicem: Ita in hypothesi starent simul in uno termino: eademque persona esset genita & spirata, quomodo persona eadem est spirans & generans. Quæ profecto valent quacunque hypothesi facta. Adde Florentinum Concilium perstringere Græcos, qui negabant procedere Spiritum Sanctum à Filio: at inepte probaret dari hanc *processionem* ex distinctione personarum;

si haberi posset absque processione distinctionis.

Præterea demonstratur thesis ratione: Realis distinctio oritur vel à limitatione, vel ab origine unius ab alio: In Deo non potest exoriri a limitatione: Ergo à processione unius ab alio tantummodo. Quid vero ad hac Adversarii? Desumitur, inquiunt, distinctio etiam ab impossibilitate terminorum. At personæ infinitæ nihil est impossibile, nisi quod illi opponitur relative. Omnia Pater dedit Filio, excepta *paternitate*: dedit naturam, omnipotentiam, æternitatem, sapientiam; omnia, inquam. Hæc omnia in una persona sunt, & idem sunt, & unum sunt, quia non referuntur ad invicem. Impossibile, & non oppositum relative invenio quidem in creatura finita, sed non in Deo.

AD OBJECTA SCOTISTARUM RESPONSIO.

Opp. 1. Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc is natus esset, ille datus: Sed hæc est sufficiens ratio distinctionis unius ab alio; ait enim Anselmus de Spiritu Sancto cap. IV. *Si per aliud non essent plures Filius & Spiritus Sanctus, per hoc solum essent dive si, scilicet, quia alter nascendo, alter existit procedendo.* Et S. P. Augustinus lib. V. de Trinit. cap. XIV. docet Spiritum Sanctum non esse Filium, quia *exit non quomodo natus, sed quomodo datus.* Effet itaque discrimen inter Spiritum Sanctum, & Filium, etiamsi non procederet unus ab alio.

5.
Obiectio
scotistarum.

Resp. trans. ma. & dist. minorem: Hæc est sufficiens ratio distinctionis Spiritus Sancti à Filio, si datus sit, ac procedat à Filio & a Patre, concedo: si datus & procedens esset à Patre tantum, nego. Beatus Anselmus docet quidem Filium, & Spiritum Sanctum fore diversos per hoc tantum, quod ille existeret nascendo, iste autem procedendo: at nasci & procedere inter se non different, si procederet à solo Patre: atque hoc responderet etiam S. Thomas q. 36. art. 2. Quæ & vera esse, & quare illa verborum phrasi dicta sint ab Anselmo, etsi ex dictis possit comprehendere, magis iterum explicabo. Anselmi verba, quæ nobis obijciuntur, sunt in cap. 2. & repetuntur in quarto. In 2. hæc præmittuntur: *Ipsa diversitate nativitatis & processionis referuntur ad invicem, ut diversi & alii ab invicem: & quando substantia habet esse de substantia sunt ibi relationes insociabiles: id explicat*

6.
Solutio.

Anselmus exemplo hominis hominem generantis. Tum duos illos modos recenset. Addit paullo post: *Relationis oppositio ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est.* Est ergo nativitatis, & processions diversitas ea tantum, qua Filius & Spiritus Sanctus referuntur ad invicem, & ex qua relationis nascitur oppositio. Itaque nisi sit hæc relatio, non erit nativitatis, & processions diversitas. Cur vero ea phrasi utatur cap. 4. *Si per aliud non essent plures, &c.* evidens ratio succurrit. Agit enim contra Græcos, qui negant Spiritum Sanctum à Filio procedere; & Filium nasci, Spiritum Sanctum procedere confitentur. Illos ex hac eadem confessione revincit, & ita Latinorum dogma propugnat. Sunt, inquit, Filius & Spiritus Sanctus, ut fatemini, plures, quoniam unus est à Patre nascendo, & alter procedendo: Sed non esset hæc diversitas nativitatis & processions, nisi Spiritus Sanctus esset à Filio: Ergo Spiritus Sanctus à Filio est, si unus nascitur, & alter procedit. Audias eodem cap. 4. Anselmi illationem: *Omnimoda igitur, & inexpugnabili necessitate concluditur, quia si vera sunt, quæ supradixi nos pariter cum Græcis credere, aut Filius est de Spiritu Sancto, aut Spiritus Sanctus de Filio.* Nihil ergo manifestius, quam Anselmum diversitatem illam nativitatis, & processions à sola relationis oppositione repetere, atque ex illa diversitate, quam & Latini & Græci fatentur, tanquam ex communi principio Græcorum dogma refellere. Quæ cum ita sint, nemo tam aperte rejicit opinionem Scoti, quam Anselmus. Quid vero Augustinus? In v. de Trinit. cap. 14. Ex quo Filius sit natus, & Spiritus Sanctus datus, infert Filium esse cum Patre unum Spiritus Sancti principium: quomodo ergo Filius tantum natus erit, si Spiritus ab eo non procedat? Addit *quod natum est ad solum Patrem referri*: cur itaque Spiritus non erit Filius, si referatur ad solum Patrem? Sed de priori argumento nimis multa.

7.
Objectio 2.

Opp. 2. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius haberet proprium constitutivum, id est, *Filiationem*: Ergo duæ personæ essent distinctæ realiter. Probatur consequentia tum quia idem est constitutivum, & distinctivum; tum etiam quia *Filiatio* distinguitur etiam in nostra sententia à *spiratione* per semetipsam.

8.
Solutio.

Resp. dist. ant. In hypothese Filius haberet proprium constitutivum relative oppositum Patri, concedo: relative op-

positum Spiritui Sancto, nego ant. & dist. conf. Ergo essent duæ personæ distinctæ, Filius & Pater, conc. Filius & Spiritus Sanctus, nego. Neque persistas dicendo, sola *Filiatio* est constitutivum Filii. Nam loquerisne de *Filiatione*, ut est in mente tua, an de ea, quæ est in Deo? Si de *Filiatione*, ut est in mente tua, ea quidem non est *spiratio*: Sed nullam hinc inferre poteris diversitatem, nisi perceptionum tuarum. Quod si loqueris de *Filiatione*, ut est in Deo, nego quod hæc Filium constituat, sed si castigate velis differere, Filius, cum summa res sit, est quidquid est, sua & natura, & *Filiatio*, & *Spiratio*, atque omnia, sola excepta *personalitate*, quæ ad ipsum refertur. Igitur *Filiatio* à *spiratione* distincta neque est in Filio, neque Filium constituit, neque cum simplicissima Filii natura potest misceri. *Filiatio* ergo, quæ constituit Filium Dei non est sola *Filiatio*, sed *filiatio* Dei: *filiatio*, inquam, quæ est quidquid est, & illud tantum non est, quod cum ea opponitur relative. Et hæc *filiatio* distinguitur à Spiritu Sancto seipsa, non quod foret distincta etiam si non esset *spiratio*; sed quia, cum sit quædam res summa, nequit distingui per formam aliquam superadditam sive extrinsecam, sive intrinsecam.

Opp. 3. Si Spiritus Sanctus non procederet à Patre, distingueretur à Patre. ^{9.} Objectio 3: Ergo etiam si non procederet à Filio, ^{9.} distingueretur à Filio. Resp. nego antec. ^{9.} Ait enim in lib. de Process. Sp. Sancti cap. 5. S. Anselmus: *Non potest intelligi Spiritus Sanctus à Patre alius, si de illo non habet esse: sicut Filius per hoc est alius à Patre, per quod est filius ejus, quod non est aliud, nisi quod de ipso existit nascendo.* Quæ mirifice superiorem doctrinam non modo confirmant, sed etiam persuadent.

Si vero ita argumentaris: Si Spiritus Sanctus procederet à solo Filio, ^{10.} distingueretur à Patre: Ergo si procederet à solo Patre, distingueretur à Filio: tunc adeo converteris, ut vix impressam orbitam tenere videaris. Num percipere vales, aquam decurrere à fluvio, non à fonte? florem à ramis, & non à radicibus fibris emitti? Spiritus ergo procedens à Filio, exiret remote saltem à Patre. Verumtamen dialecticorum more nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quia Filius non potest esse principium Patris, & consequenter tenet ratiocinium istud: A Filio nequit procedere Pater; ergo non est Pater qui procedit à Filio. Ex alia parte esset in hypo-

hypothesi solus Pater principium Filii & Spiritus Sancti, & per consequens, non recte concluderetur: A Patre nequit procedere Filius; igitur non est Filius, qui procedit à Patre. Sed non videtur etiam atque etiam hoc premendum esse argumentum.

ii
Objectio ul-
tima.
Opp. ultimo: *Spiratio* activa & *paternitas* sunt productiones duæ, ambæ in suo genere perfectissimæ: debent ergo duplicem habere terminum distinctum reipsa. Nec respondendum est duas illas productiones realiter non distinguui, cum unum principium alios, aliosque terminos habere possit.

Resp. dist. ant. Sunt productiones duæ solutio. cogitatione nostra, conc. sunt duæ reapse, nego: & argumentum retorqued; hæ duæ productiones *Paternitas* & *Spiratio*, cum non opponantur relative sunt una res indistincta; ergo hi duo termini Verbum & Amor essent reapse unus, si non opponerentur relative. Neque hoc argumentamur, quia ab uno principio plures termini prodire nequeant; sed quoniam in summa ac simplicissima re sunt insociabiles plures termini, nisi relatio oppositionis intersit

CAPUT V.

Agitur de relationum Divinarum existentia, numero, ac perfectione.

SUMMARIUM.

2. 3. & 4. Ostenditur, relationes concretè sumptas esse in Deo realiter, sumptas verò pro aliqua forma non esse res complexè significabiles, bene tamen incomplexe extra animam significabiles.
5. Probatur, relationes concretè spectatas in Deo tantum esse tres, acceptas autem

pro ipso respectu esse quatuor, ita tamen, ut tertia solum cum duabus præcedentibus sit incomplexe significabilis.
6. & 7. Propugnatur, easdem quomodocunque consideratas dicere infinitam quandam perfectionem, incomplexe tamen eundem D. Essentia significabilem.

De Existentia numero, & perfectione D. relationum.

REDEUNDUM est aliquantulum ad primum aditum, & vestibulum Philosophiæ. Didicimus illic relationem esse ordinem unius ad alterum, ut Patris ad Filium, similis ad simile: & hujus ordinis aliquando poni fundamentum in sola natura rerum, quæ dicuntur ad invicem; aliquando in accidenti quantitate, vel qualitate. In ipso limine logices illud insuper edocti sumus, nomina quædam esse concreta & significare rem aliquam cum forma, a qua denominationem aliquam adipiscitur: quædam verò abstracta potius hanc formam, quam illius substratum significantia. Ex his ea, quæ sunt quæsitæ, facillime poterunt enodari.

1. Propositio de Relationibus D.

PROPOSITIO I. Si relationes accipiuntur *concretè*, id est, pro relativis quæ dicuntur ad invicem, sunt in Deo realiter; si pro forma aliqua, per quam constituuntur relativa, non sunt res aliqua *complexè* significabiles; sunt tamen res extra animam significabiles *incomplexè*, modo explicato 11. Capite præcedenti.

2. Probatur 2. pars.

Tres habet partes theorema: & probatur pars prima. Nullo intellectu cogitante est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & Pater generat Filium, Filius gignitur à Patre, Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio:

Ergo si Divinæ relationes accipiuntur concretè, videlicet pro personis, quæ ad invicem referuntur, sunt in Deo nullo humano cogitante intellectu. Præterea, ut dictum supra, Divinæ personæ realiter distinguuntur & distinguuntur se ipsis, quatenus referuntur ad invicem: Igitur si relatio accipitur pro personis, quæ ad invicem referuntur, realiter est in Deo, & extra mentem, & animam cogitantium. Rursus datur reapse in Deo, non dissentientibus Aureolo, & Ochamo, divinitas & substantia, quæ enunciat per nomen istud absolutum *Deus*: Ergo datur realiter in Deo relatio, E. G. *Paternitatis*, quæ exprimitur per nomen hoc relativum *Pater*: quippe utrumque nomen significat rem, quæ proculdubio vera est, & qualis per hæc nomina significatur.

Probatur pars altera. S. P. Augustinus in vii. de Trinit. cap. 1. n. 2. explanans relationem Patris ad Filium, docet Patrem esse aliquid ad seipsum, non enim potest relative dici ad aliquid, quod non est ad se, quomodo si non esset homo, id est, aliqua substantia, non esset qui relative Dominus diceretur: hanc autem relationem non esset comparandum illi, qua color refertur ad coloratum, cum color sit corporis, & quod corpus dicitur, dicatur ad se: at Pater,

3. Probatur 2. pars.

ter, in quo idem est esse, quod sapere, referatur substantia sua. Si ergo relatio esset forma quædam *complexæ* significabilis, Pater non diceretur ad Filium substantia sua, sed per aliquid substantiæ suæ superadditum: At hoc dici nequit: Ergo relatio Patris ad Filium non est aliqua forma *complexæ* significabilis. Rursus nulla omnino res sive relatio, sive proprietas adest Deo, quæ non sit Deus, ut contra Gilbertum Porretanum definivit Concilium Remense, & Lateranense IV. adversus Abbatem Joachim. Est ergo hæc forma relationis ficta & commentitia.

4. Pars. Probat 3. Pars. Pars tertia sic probatur. Relatio est quædam res extra animam *incomplexæ* significabilis, si id, quo una Personarefertur ad aliam, sit cum ipsa una res summa, impartibilis, & quæ est quidquid est: Id, quo una Divina Persona refertur ad aliam, est cum eadem Persona una res summa, simplex, indistincta, & quæ est quidquid est: Ergo relatio, qua Divinæ personæ referuntur ad invicem, est quædam res extra animam *incomplexæ* significabilis. Non militant adversus hanc propositionem aliorum contorta & aculeata sophismata.

5. Propositio 2. de relationibus. PROPOSITIO II. Si relationes accipiuntur concrete & pro relativis sunt in Deo tantum tres, si vero pro respectu & ordine, possunt admitti quatuor, sed tertia est solum cum duabus præcedentibus significabilis *incomplexæ*.

Probatur tripliciter. Evidens est quantum ad singulas partes hæc propositio. Quantum ad primam; quoniam tres sunt in Deo personæ, quæ referuntur ad invicem: Igitur si relatio pro ipsis personis accipitur, triplex in Deo est. Quantum ad alteram partem; quia est in Patre ordo generantis ad genitum: in Filio ordo geniti ad generantem; in Patre & Filio ordo spirantis ad Spiritum: in Spiritu Sancto ordo spirati ad spirans: utro singulari numero, quod Pater & Filius unum sint Spiritus Sancti principium. Quantum ad partem tertiam; quia relatio spirantis non opponitur relative neque cum relatione generantis, neque cum relatione geniti; & consequenter à neutra distinguitur, nec est cum his simul significabilis *complexæ*, quomodo nulla relatio *complexæ* significabilis est cum natura; ut constat ex præcedenti propositione. Ex quibus constat relationes oppositas, quibus constituuntur personæ, tres tantum esse, non quatuor. Atque distincta hoc pacto propositione comprimuntur Scholasticorum conflictus.

6. PROPOSITIO III. Quomodocunque accipiantur in Deo relationes, sunt infinita quædam perfectio, *incomplexæ* rationem cum Divina essentia significabilis.

Probatio. Vel enim accipis relationem pro relativis, ut sunt, vel ut referuntur ad invicem: si ut sunt, est summa perfectio esse Deum; si ut referuntur ad invicem, est pariter perfectio summa esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum: At Divinæ relationes nihil omnino sunt, quam Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, prout dicuntur ad invicem. Ergo Divinæ relationes, quomodolibet accipiantur, sunt summa quædam & infinita perfectio. Quod vero non sint perfectio aliqua *complexæ* cum essentia significabilis; sequitur ex dictis: Nam si *complexæ* significabilis esset, perfectio relationis alia esset à perfectione substantiæ, nec Trinitas foret res una summa & incomprehensibilis, nec inter Divinas personas salvaretur æqualitas. Quoniam vero est in Deo una tantum perfectio, uti una substantia, una essentia, una res summa: propterea dixi Divinas relationes esse perfectionem, non, ut alii complures Theologi, perfectiones.

7. Corollarium. Consequitur ex dictis I. unam rem summam in Deo esse essentiam & personam, ut demonstravimus cum Augustino lib. 11. cap. 3. Prop. 2. ad 2. opp. hæc autem nomina, substantia E. G. & Pater, exprimere eandem rem incommutabilem, sed illud hanc designare quatenus absolute subsistit; hoc vero, prout dicitur relative: & nullo vocabulo perfecte demonstrari ineffabilem Deinaturam, quemadmodum commentus est nefarius hæreticus Eunomius refutatus eodem libro capite primo. Sequitur secundo, esse inter Divinas personas perfectissimam æqualitatem, etiam si in qualibet non habeatur eadem relatio; quoniam hæc est quidem perfectio, sed eadem penitus cum natura: unde nulla caret perfectione relationis persona aliqua, cum nulla sit persona, quæ non sit essentia eadem inseparabilis, ut diximus lib. VII. cap. 6. ad 7. Tertio sequitur posse facile conciliari veterum dicta, quorum aliqui docent Personas constitui se ipsis, alii autem tradunt constitui proprietatibus personalibus. Nam constituuntur se ipsis, quatenus non efficiuntur personæ per aliquam formam intrinsicè in hærentem, aut advenientem extrinsecus, quæ summæ Dei opponitur simplicitati: & constituuntur quoque proprietatibus personalibus significabilibus *incomplexæ*, id

id est, relationibus, quæ nullatenus, nisi cogitatione nostra, & respectu connotatorum ab illa summa re distinguuntur, quæ est Pater generans, Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens. Tandem sequitur, uti inter principia divinarum *processionum*, ita inter terminos nullum interesse discrimen: sed omnem terminum distinguere realiter à suo principio propter relationem oppo-

sitionis, & in unoquoque principio ac termino servari perfectissimæ naturæ unitatem. Quamobrem tradita à nobis doctrina inter frequentes pelagi scopulos poterit, quasi levis cymba, secundissime cursum tenere: in altum tamen duci, neque navigio datum est, quantumvis ornato velis, malis, antennis, gubernatore, remigibus.

CAPUT VI.

Quot sint in Uno, Trinoque Deo subsistentiæ.

SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Afferitur, tres esse in Deo subsistentias, si rō subsistentia accipiat pro modo pecu-

liari existendi, quo constituitur persona plenarie individua.

3. Unam verò tantum, si rō subsistentia accipiat pro ratione existendi per se.

1.
Quot subsistentiæ in Deo uno & trino,

FUIT quondam de significatione subsistentiæ & hypostaseos controversia, ut dixi cap. ultimo libri VII. nunc nulla est; atque his vocabulis non Dei naturam, sed proprietatem personalem concordibus animis declaramus. Est autem subsistentia proprius existendi modus, quo redditur persona plenarie individua, ut eam describitur accurati Philosophi: neque addit aliquid naturæ, præsertim infinite perfectæ, præterquam ordinem relationis, quomodo declaravi lib. VII. cap. 6. ad 8. Et quidem si hæc personalis proprietas foret realiter à natura distincta, sequeretur veram esse opinionem Abbatis Florentis, quam supra cap. 2. à Lateranensi Synodo damnatam esse affirmavimus, videlicet reperiri in Deo *quaternitatem*, id est tres personas, & distinctam à singulis naturam communem, quasi quartam. Hoc præterea blasphemum hæreticumque fieret consequens, nullam ex Tribus personis fore Deum verum ac summum; quoniam essent singulæ personæ à natura divinitatis distinctæ, aut saltem, quod simplicissimam naturam evertit, esset unaquæque persona ex duabus rebus congesta. Sed neque intercedere naturam inter ac subsistentiam distinctionem aliam intrinsicam minorem reali, adversus Scotum libri secundi capite tertio probatum est. Petenti vero, qui fieri possit ut multiplicentur personæ in eadem natura, & hæc communis sit, non autem personales proprietates, cum citato loco, tum lib. VII. cap. 6. ad ultimam Oppos. reddita est responsio, eandem summam rem communem esse, ut dicitur ad se; individua, peculiarem, & distinctam.

R. P. Berti Theol. Tom. II.

distinctam, ut refertur ad terminum oppositum relative, absque ulla intrinseca distinctione.

Quasitum ergo hoc capite propositum sola explicatione nominis subsistentiæ dissolvitur, & non est, ni fallor, Theologorum dissensio, nisi de voce. Cum enim duo quasi munera præstet subsistentia, unum reddere naturam per se & complete existentem, aliud verò illam in aliquo existendi modo individua: & hoc postremum subsistentiam jam omnes appellant; qui subsistentiam absolutam propugnant præter tres relativas, primum subsistentiæ munus & nominis grammaticalem sensum spectare videntur; & qui tres subsistentias relativas tantum asserunt, hi subsistentiæ munus alterum, & significationem nominis Theologicam contemplantur. Quæ, ut melius percipiantur, sit

PROPOSITIO I. Accepto subsistentiæ vocabulo pro modo peculiari existendi, quo constituitur persona plenarie individua, tres sunt in Deo subsistentiæ.

Hæc propositio probatur 1. auctoritate Conciliorum; inter quæ Nicænum 1. Constantinopolitanum 1. & Lateranense 11. definiunt, fide tenendam esse *Trinitatem in tribus subsistentiis*. 11. testimoniis PP. ait enim Cyrillus de Trinit. lib. 3. *Deitatis natura in tribus subsistentiis proprie subsistit*. Et Athanasius Serm. de Veipara: *Unum Deum in tribus subsistentiis prædicamus*. 111. Probatur ratione: Sunt in Deo tres personæ: ergo tres subsistentiæ; nam qualibet persona ut incommunicabilis sit, habere debet peculiarem modum existendi, quem placuit Fidei Conditoribus dicere *subsistentiam*.

II

PRO-

Explicatio
nominis subsistentiæ.

2.
Propositio 1.

Probatio.

3. PROPOSITIO II. Accepto termino
Propositio 2. *subsistentiæ*, ut significat rationem existi-
endi per se, & in sensu grammaticali,
una tantum est in Deo subsistentia.

Probatio. Probatur. Una est in Deo substantia,
quæ existit per se: Ergo una est in Deo
subsistentia, quatenus denotat modum
existendi per se, id est, independentem
à quocunque subjecto, & ad differen-
tiam accidentium. Hinc Augustinus
in VII. de Trinit. cap. IV. *Omnis res,*
inquit, *ad seipsam subsistit; quanto ma-*
gis Deus? Hanc tantum propositionem
demonstrant Argumenta Scotistarum,
qui subsistentiam absolutam defendunt:
in quorum argumentorum solutione
cunctandum esse non probo; nam &
vera sunt, & hac nostra propositionum
distinctione possunt ab eo, cui oppone-

rentur, elidi. Utrumque subsistentiæ
munus complexus est Agatho Papa defi-
niens dari *trium subsistentiarum unam*
subsistentiam. Vide Act. 4. Synodi Sex-
tæ. Uno verbo: In Deo quidquid ser-
vat unitatem pertinet ad substantiam;
& quidquid numerum insinuat, ad op-
positam relationem. Una ergo *subsi-*
stentia dicitur ad se, quomodo una di-
vinitatis natura: & tres pariter *subsi-*
stentiæ dicuntur ad aliud, quemadmodum
tres Personæ. Quoniam vero Theolo-
gicus sensus grammaticali præferendus
est, & Theologi *subsistentiæ* nomen ad-
hibent ad significandam personalem pro-
prietatem: melius sentire censemus
Theologos, qui de hoc quæsto interro-
gati respondent dari in Deo tres tantum
relativas *subsistentias*.

CAPUT ULTIMUM.

Præscriptiones quædam ad scite differendum de Trinitate,
vitandamque fallaciloquentiam.

SUMMARIUM.

à num. I. usque ad 19. Cui ultimum tradun-

tur regulæ in discursu de Deo uno, &
trino observandæ.

Regulæ ad
bene disse-
rendum de
Trinitate.

Regula 1.

RELIQUUM est, ut nonnullos Ca-
nones legesque tradamus, quibus
de Trinitatis mysterio Candidati
nostri haud inquinare loquantur. Ac
principio caveant, ne vocabula postremo
capite libri septimi exposita præter com-
munem significationem usurpent: jam
enim unanimiter confitendum est, &
tres in unitate divinitatis dari *hyposta-*
ses, & *substantiam* inseparabilem, & re-
tinendum esse *Omoousion*, & nomina
alia, quæ Patrum traditio atque usus
probat Ecclesiæ.

1.
Regula 2.

II. Dum nomina *Unitatis* & *Trini-*
tatis proferuntur, primum semper pro
Divina Essentia accipiendum est, alte-
rum pro personis. Cum vero nulla in-
ter essentiam & personas interveniat di-
stinctio intrinseca, neque istæ sint modi,
aut formæ aliquæ superadditæ; dum
confitemur Unitatem in Trinitate, aut
Trinitatem in Unitate: propositio in
sensum reddere debet *incomplexum*: sen-
sum enim *complexum* proscripsit anno
675. XI. Toletana Synodus his verbis:
Nec recte dici potest, ut in Deo sit Tri-
nitatis, sed unus Deus Trinitas. At Sym-
bolum Athanasianum in sensu *incom-*
plexo recte ait: *Unitas in Trinitate, &*
Trinitas in unitate veneranda sit. Ita
ergo sententia nostra, de qua præce-

denti cap. 2. huiusmodi definitiones egre-
gie conciliat.

III. Qui distinctionem *formalem* pro-
pugnant, negant recte dici, *Paterni-*
tas aut *Filiatio* est *Spiratio activa*,
quomodo, inquit celebris quidam Sco-
tista, non valet, *intellectus vult, Vo-*
luntas intelligit: sed nos non adeo eri-
mus scrupulosi, qui legimus in Augu-
stino XII. de civit. Dei cap. 13. *Scien-*
tia tua est, & vult incommutabiliter:
& voluntas tua scit, & vult incommu-
tabiliter. Nihilominus, si hæc nomina
ad sua *composita* comparentur, cum
Paternitas ad Filium, *Filiatio* ad Pa-
trem, *Spiratio* ad Spiritum Sanctum di-
cantur relative, aliquod discrimen his
subesse fatebimur, sed sola ratione *Con-*
notatorum; idque de intellectu, & vo-
luntate dictum est cap. III. lib. 2. Prop. 2.
ad 1. objectionem.

IV. Cum nullum dari possit nomen
voce ac syllabis finitum, quod plena-
rie indicet incomprehensibilem Dei na-
turam: vocabulum autem *Essentia* ex-
primit divinitatis substantiam, non re-
lationem, abstinendum est ab hac enun-
ciatione, *Essentia generat, Essentia gi-*
gnitur, Essentia procedit: hic enim la-
tet hæresis, ac blasphemia. Caterum
si

2.
Regula 3.

3.
Regula 4.

si accipiatur *Essentia*, quatenus est una summa res cum personis, & prout relative dicitur, vera est praefata enunciatio, & apud veteres recepta, qui Filium *ἐκ τῆς γενεῆς*, *substantiam genitam*, appellaverunt. Quam antiquiorum consuetudinem non esse servandam ideo arbitramur; quia, ut diximus, *Essentiae* nomen significat divinitatem spectatam in se, non peculiari proprietate devinctam.

4. Regula 5. V. Et hoc idem, quod nos loquimur, dum *Essentiam* dicimus personali proprietate affectam, & modo existendi terminatam, aliaque id genus plura, provenit ab inopia sermonis nostri; cum una res simplicissima sint Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit: neque ab essentia proprietate personalis intrinsece distinguatur.

5. Regula 6. VI. In isto quoque pronomine, *Alius*, cautionem tenere debemus, ut nunquam dicamus unam personam esse *aliud* ab altera, sed *aliam* duntaxat: quippe in neutro genere pronomina significare solent rem, non personam, ut docent regulae Grammaticorum. Hinc Augustinus Tractatu in Joannem sexto, ac tricesimo *Alius est*, inquit, *recte dicis: aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater, & alius Pater, quia non est ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est & Pater & Filius*. Ob eandem rationem aequum est, ut dicamus: non, *ipse* est Pater qui Filius, sed *ipsum*: non, *hic*, sed *hoc*: non, *unus*, sed *unum*.

6. Regula 7. VII. Adjectiva nomina *Aeternus*, *omnipotens*, *immensus*, &c. cum significant, qui habet aeternitatem, omnipotentiam, immensitatem, &c. possunt enuncitari utroque numero, singulari, & plurali. Etenim qui habet omnipotentiam est Deus: adeoque si adversus Arianos aut Macedonianos loquimur, qui negant in tribus Personis unam divinitatis Essentiam, postulat Catholica fides, ut dicamus, *Aeternus est Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus: non tamen tres aeterni, sed unus aeternus, &c.* id est unus Deus habens aeternitatem. Verum si personarum pluralitatem adversus Samosatenses designare velimus, utimur plurali numero, & tres personas contemur *coeternas & coaequales*: & habetur utraque enunciatio in Symbolo Athanasiano. Neque enim in priori versu *Aeternus* est nomen substantivum, in hoc postremo adjectivum,

ut plures Theologi docent, reclamantibus etiam Grammaticis: sed utrobique adjectivum est, & adjectivum sumitur; adjectivum nominis *Deus* priori loco, ubi confoditur haeresis Ariana: & adjectivum nominis *Personae*, ubi pluraliter enunciatum ad refellendam simul haeresim Sabellianam.

VIII. Quod modo *adjectivorum* nominum meminerimus, cum multi sint aetate nostra Grammatici, qui ab antiquiorum praeceptis desciscunt; & istud explicandum est quo sensu de Deo pronuncientur haec nomina *adjectiva*. Si enim *adjectiva* placet appellare quae significant aut rem, aut qualitatem alteri applicatam & adjectam, ut in homine *miles*, *pater*, *sapiens*, quae dicuntur *adjectiva*, propterea quod potest esse homo, quin sit aut *miles*, aut *pater*, aut *sapiens*, aut ex his nihil: nullum nomen, quocumque modo inflectatur, dum Deo tribuitur, erit *adjectivum*, quia est substantialiter bonus, aeternus, sapiens, &c. At si *adjectiva* usitato more accipiantur, quatenus aut significant aliquid substantiae adjectum, aut substantiam ipsam prout connotat quaedam effecta, & flectuntur propria grammaticali declinatione; his duobus postremis modis de summo Deo placet *adjectiva* enunciare.

IX. Vitare praeterea debemus voces nonnullas, quae personarum pluralitatem videntur excludere, ut *unicus*, *singularis*, *solitarius*; & nonnullas pariter, quae earum in substantia distinctionem possunt innuere, ut *insociabiles*, *discrepantes*, *separatae*: quorum aliqua si Sanctorum exemplo a nobis posita sint, erunt hoc temperamento accipiendae, ut solam realem distinctionem personarum in unitate summae divinitatis affirmare asseveremus. Attamen si certa verborum cautione liquet nomen Dei supponere pro substantia, fas erit appellare Deum *unicum*, quia non sunt plures Dii; quemadmodum profitemur *unicum* Dei Filium, quia non sunt plures Filii: unde disputantibus contra Atheos de naturae divinae unitate fas erit promiscue Deum *unum* & *unicum* affirmare.

X. Sed & summa Dei simplicitas postulat, ut potius *unum* Deum dicamus, quam *unitum*; & *unitatem* magis quam *unionem*: quae nomina, si aliquando ad varietatem orationis a nobis permixta sunt,

7. Regula 8.

8. Regula 9.

9. Regula 10.

sunt, debet prudens lector sensum tenere, qui omnem excludat compositionem: in qua à summo Deo removenda fuimus multis aliis rigidiores, fidei, non humanis inventis perpussillum ingeniolium captivantes.

10.
Regula 11.

XI. Quando Dei nomen *essentialiter* accipiendum sit, quando autem *personaliter*; explicavimus lib. VII. cap. VI. neque temporis jacturam faciemus eadem repetendo. Juxta regulas ibidem traditas in hac propositione *Deus est conditor mundi*, Dei nomen sumitur *essentialiter*, quia creare convenit tribus personis ratione naturæ & communis omnipotentia: In hac vero *Deus generat Verbum* ponitur nomen Dei *personaliter*, quoniam generare pertinet ad personam, convenitque Deo ratione peculiaris proprietatis.

11
Regula 12.

XII. Inter *Trinum*, & *Triplex* polito in scribendo Latini non videntur distinguere: nam Cicero ad Atticum modo *trinas literas* scripsit, modo *triplices*: & in Tusculanis *triplicem* animam ait finxisse Platonem, id est, *tres animas*: nec desunt exempla consimilia bene multa, quibus probetur significari utroque nomine quæ sint numero tria. Hinc Petavius lib. VIII. de Trinit. can. IX. docet de Deo *Triplis* vocabulum nihilominus assumi potuisse, quam *Trini*; nunc autem istud teneri, non illud propter sermonis consuetudinem. Etsi vero *Trinum* & *triplex* usurpatur quandoque sine discrimine; intercedit tamen hæc differentia, quod omne *triplex* est *trinum*, at non omne *trinum* est *triplex*; sicut omne *simplex* est *unum*, non autem omne *unum* est *simplex*. Etenim *Trinum* significat solum numerum trium, *Triplex* vero multiplicatam in tribus rationem; uti *unum* demonstrat solam amotionem multitudinis, & *simplex* spoliationem cujusque compositionis. Ergo, cum in Divinitate sint tres numero hypostases, dicitur jure merito *Deus trinus*: & e contra, cum inter Divinitatem & Personas nulla sit compositio, nefas est dicere *Deus triplex*. Quare S. P. Augustinus in VI. de Trinit. cap. I. *Nec quoniam Trinitas est, inquit, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater & Filius.* Et S. Thomas q. 31. art. 1. ad 3. *Trinitas absolute dicitur: significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inæqualitatis.*

Est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boetium in Arithmetica lib. I. cap. 24. Dicit Petavius hæc non magni esse momenti: nam personæ tres plures sunt quam una, quod ad numerum attinet, etsi non plus aliquid sint, si perfectionem spectes. Sed ex adverso repono, pluralitatem numeri satis superque innui per numerale nomen *Trinum*: per *Triplex* autem significari etiam rem, cui numerus tribuitur, esse *triplicatam*, adeo ut tres personæ videantur plus aliquid esse & in numero, & in perfectione, quam una tantum, si Deus dicatur *triplex*: & consequenter non solum loquendi norma, sed explorata etiam ratione Deum *Trinum* dici, non *Triplexem*.

12.
Regula 13.

XIII. Alia est significatio nominis, quam exhibet nudum etymon, & alia, quam præfert idea mentis per nomen expressa: Homo enim E. G. significat secundum etymologiam figmentum *ex humo*, sed iuxta mentis perceptionem, Animal ratione præditum. Porro idem est Latinis *Triplex*, quod Græcis *τρίπλῆς*, aut *τρίπλῆσις*, quæ græca vocabula sunt à *τρεῖς*, *tres*, & *πῆλι*, *sum*. Quotiescunque ergo apud nonnullos antiquiores Græcos inveneris de Deo *Triplis* vocabulum assumi, dicendum erit ab his magis nominis etymologiam, quam ideam fuisse spectatam.

13.
Regula 14.

XIV. *Trinitatis* quidem vocabulum usurpatum 11. Ecclesiæ sæculo à Theophilo Antiocheno libro 11. ad Autolyicum, quamquam nudas personarum relationes, aut substantiam sua prolatione non indicat, Catholice retinendum est, cum significet numerum personarum, quæ relationibus constituuntur: unde perperam adversus hoc *Trinitatis* nomen cavillatores quidam hæretici debacchantur.

14.
Regula 15.

XV. Neque abjiciendam credimus perantiquam locutionem *Trina Deitas*, de qua olim Hincmarus adversus Gonthescalum nimis excaudit, vetuitque ne ulterius in hymno Martyrum cantaretur, *Te Trina Deitas unaque poscimus.* Hanc enim locutionem probat Nazianzenus in Poemate de Vita sua, ubi querit *πῶς ἡ μὴν τριπλῆς*, quomodo *Unitas sit Trina*: S. P. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 7. sic Deum alloquens: *Et aliud præter te non erat unde faceres ea, Deus una Trinitas, & Trina Unitas*: Anselmus cap. Monologii 78. *Expediit ut credat omnis homo*

in

in quamdam ineffabilem Trinam Unitatem, & unam Trinitatem: Ecclesia deum universa in hymno Corporis Christi, Te Trina Deitas unaque poscimus, &c. Qui Hincmarum defendere student ajunt ea locutione Trina Deitas proferri Tritheitarum execrandam blasphemiam: præponendam esse Gotheschalchi & Rattramni malitiæ sinceritatem Hincmari: falsatum ab illis Augustini librum de quinque hostium generibus, in quo maxime locutio ista probatur: Hincmari emendationem in hymno Martyrum ab universali Ecclesia fuisse hucusque retentam. At respondendum est Deitatem non dici Trinam ratione substantiæ, sed ratione personarum, quæ sunt simul una Deitas, ita ut si propter naturæ communionem recte dicitur Una Trinitas; propter pluralitatem personarum recte quoque dicatur Trina Deitas. Hincmarum autem se parum sincera fide gessisse ex eo constat, quod cum Augustinus Trinam Deitatem fateatur in lib. de Duabus Animabus, in XII. Confess. cap. 7. Sermonem 52. de Verbis Domini, & hanc loquendi formam recognoscat confirmetque in 1. Retract. num. VIIII. ipse Hincmarus subdole ait, id imperite à S. Patre scriptum, cum adhuc presbyter esset, & retractatum, & ex quo temere verba sua Athanasiano Symbolo inseruerit, insertaque pro fide Catholica venditaverit. Nam in diplomate suo pag. 464. ad locum illum Symboli neque substantiam separantes, addidit, quasi Trina sit. Sed num malitia, num ignorantia peccaverit Hincmarus, nostra non interest. Liber vero contra quinque hostium genera constat non esse Augustini, nec ejus meminisse Possidium, aut eundem Augustinum in libris Retractationum: sed etiam si genuinus esset, non discrepat hoc loco à sensu Augustiniano, ut constat ex dictis. Ecclesia denique utramque locutionem jure retinet, & Summa Deitas, in hymno Martyrum, & Trina Deitas, in Officio Corporis Christi, ut nos doceat neutram Catholicæ fidei adversari. Sed qui plura de hoc argumento desiderat, legat Vindicias veterum Codicum Petri Constant Monachi S. Mauri, cujus summæ eruditioni ac diligentia debet literaria respublica castigatissimam, nitidissimamque Operum Augustini editionem Parisiensem.

15. XVI. Perinde ac Trina Deitas, re-
Regula 16.cte profertur à Mario Victorino Vir-



U 3

DE

tus Trina, ab Anselmo Trina Unitas, ab Ecclesia in Consecratione Episcopi Trina Majestas: in quibus, aliisque consimilibus declaratur nomine numerali Trinitas Personarum, & substantivo Unitas inseparabilis divinitatis: id est, significatur una virtus, una substantia, una majestas, una res summa, quæ est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

XVII. Quælibet nomina substantiva 16.
absoluta enunciantur de unaquaque Per- Regula 17.
sona, & de omnibus simul singulari tantum numero, & ea invicem etiam prædicantur: V. G. Pater est sua æternitas, sua immensitas, sua omnipotentia; aut, æternitas est omnipotentia, &c. Verum nefas est dicere Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æternitates, tres omnipotentia; quoniam his vocabulis exprimitur aliqua perfectio spectans ad unitatem substantiæ. Quod si occurrat aliquod contrarium exemplum, in quo E. G. affirmetur Patrem non esse æternitatem, hanc non esse omnipotentiam, &c. hujusmodi exponendum erit de ordine connotatorum, ut diximus præcedenti Canone IIII.

XVIII. At relativa, quæ invicem op- 17.
ponuntur, pati nequeunt mutuam enun- Regula 18.
ciationem ob distinctionem, quæ inter eadem versatur: ideoque supinus est error hæc pronunciare: Pater est Filius, aut, Paternitas est Filiatio:

XIX. Ex alia autem parte, quia in- 18.
ter relativa & essentialia nulla est intrin- Regula 19.
seca differentia, hæc propositiones, Es-
sentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Essentia est Paternitas, pluresque consimiles enunciabiles sunt, verissimæ & Orthodoxæ.

XX. In his cæterisque omnibus ser- 19.
vandæ sunt Romanæ & Apostolicæ Ec- Regula ult.
clesiæ definitiones: dedecet enim proferre quæ Magistra veritatis non comprobant, sive ea reticere quæ laudant. Ad hujus itaque Matris sinum humilis, & supplex confugio, & Theologicas deferro lucubrationes, retractaturus si quæ protuli minus caute; & pro ejus fide ac doctrina, lingua, calamo, sanguine pugnaturus. Votorum autem meorum, hic unus, & sane præstantissimus finis est, videlicet, Deus Trinus: cui sit

Laus, & perennis gloria
Et nunc, & in perpetuum,